

HEINRICVS ET IOANNES DE ERPHORDIA.



**H**einricus & Ioannes sub Carolo quarto Cæsare magnæ authoritatis Erphordiæ erant. ut pote qui legendo & scribendo omnes finitimos lōgè superarent, atque huic urbi & scholæ magnum nomen compararent. Ex his Heinricus ad ædificationem Ecclesiæ multa uolumina scripsit, & in his opus Historicum de factis memorabilibus. Alter uerò ordinis minorum monachus, Philosophus & Theologus insignis fuit. Is tabulam iuris, & Summam de Casibus composuit, quibus uim ingenij sui posteritati ostendit. floruerunt hi circa annum Domini 1370. Trit.